

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Consolacio g cum uariis

Cum uolumus afflictum quempium a merore suspendere, ordo consolacionis est ut studeamus prius merendo eius luctui concordare. Dolentem non potest consolari qui non concordat dolori, quia eo ipso quo a merentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur cui mentis qualitate separatur. Sed emolliri prius debet animus ut afflicto congruat, congruens inhereat, inherens trahat. Nec ferrum ferro coniungitur si non utrumque exustione ignis liquetur; durum molli non adheret nisi prius eius duricia mollescat. Sic nec iacentem erigimus nisi a rigore nostri status inclinemur quia dum rectitudo stantis a iacente discrepat eum cui condescendere negligit, nequaquam leuat.

Gregorius libro III. moralium.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

quempium] quempiam P V¹ V² L¹ L²; quo] quod P V¹ V² L¹ L²; utrumque] utrinque L¹ L²;
rigore] uigore P V¹; stantis] dantis V² L¹ L²; eum cui] cum tibi M